

τὸ μετὰ μηνίσκων ἴσον γίνεσθαι εὐθυγράμμῳ τὸν κύκλον, ἐγγὺς ἀνείη τῷ εἰδέναι, hoc est, per meniscos circulum æquare possumus rectilineo, vt propemodū scientiam assequamur. Ex quo conspicitur, hos parum versatos esse in lectione Philosophi nostri, qui imperitioribus persuadere conantur, quadraturam circuli non abhorreere a placitis Aristotelis, & summorum eius interpretum. Insignem etiam iniuriam faciunt summo artifice Archimedi, qui putant ipsum coactas & tyrannicas rationes per impossibile ducentes, ad inuestigationem quadraturæ circuli adhibuisse. Nec minus delirant, qui nouū quendam circuli quadrandi modum, plenis buccis decantant, eundemq; sesquipedalibus verbis effuse laudatum, ac figuris geometricis vndique stipatum, in theatrum producunt: sed demonstrationi geometricæ non opus est phaleris, & veritas simplex est. Quam ob rem paucis exponere decreui, quid de quadratura circuli ex fundamentis geometriæ sentiendum sit, vt manifestū fiat, in quo hactenus omnes aberrarint, & quæ causæ impediunt, quo minus circulus quadrari possit.

Adducuntur opiniones veterum Geometrarum, Antiphontis, Hippocratis Chij, & Brysonis, quæ etiam ordine refutantur.

G A P V T II.

EX scriptis Aristotelis apparet, tres fuisse artifices, qui quadraturam circuli inuestigare conabantur: quo-